

pridie ejusdem Sancti Reliquias incipiente nocte in Basilicam S. Martini detulit, *ubi, inquit, depositis super altare sacrosanctis Reliquiis, vigilata nocte cum grandi psalterio*, sequenti die in praedictam Ecclesiam transtulit. De his vigiliis habitis coram sacris Reliquiis nocte praecedente diem Consecrationis multa habet Rhabanus Maurus, sed unum tantum adducitur testimonium ex multis, quod vetustatem simul ritus comprobat et originem ostendit, quam a veteri lege manare asserit: *Quod in dedicatione Templi, inquit, in nocte praecedente diem dedicationis Reliquiae Sanctorum feretro conditae, in tentorio vigiliis custodiuntur, quid aliud demonstrat quam quod arca Testamenti cum Sanctis, quae in ea erant in Tabernaculo mosaico ante dedicationem Templi per excubias Levitarum servabantur?*

His omnibus consonant verba Pontificalis Romani de Ecclesiae dedicatione; §. IV praecipitur enim quod celebrandae sunt vigiliae ante Reliquias ipsas (*eas nempe quae positae sunt in decenti et mundo vasculo*). Hae autem vigiliae, ut ex adductis hucusque patet, *in honorem Sanctorum fieri debent, quorum Reliquiae recondendae sunt in Altari, quae die praecedenti in vase inclusae in aliqua proximiori Ecclesia vel oratorio, vel sub papillone apposite parato et ornato inter luminaria exponuntur. Laudes itaque, hymni et quidquid aliud ante Reliquias vel recitatur vel etiam canitur in his vigiliis, ad ipsorum Sanctorum honorem recitari, aut cani debet, ut clarissime patet. Hae insuper vigiliae perdurare debent usque dum tempus advenerit, quo levandae sunt et in altari praescriptis ritibus et caeremoniis recondendae: quid enim aliud ostendunt, quae leguntur in allatis testimoniis et auctoritatibus, nempe tota nocte, per totam noctem, vigilata*

nocte etc.? Falsa itaque quorundam opinio, qui asserunt non esse stricte praecipitum ut per totam noctem vigiliae agantur, et sufficere ut Nocturni tantum Officii de Sanctis, quorum Reliquiae exponuntur, recitentur, et per *vigilias Nocturni* hoc loco intelligantur, eo quod *nocturni vigiliarum* nomine appellentur. Hoc quis nesciat, at unde hanc hauserunt opinionem? non ex antiquitate, non ex Pontificalibus libris, non ex praxi tum velustissima, tum praesenti, et si in nostro Pontificali Rom. non expresse dicitur vigilias per totam noctem esse agendas, non inde sequitur sufficere aliquos Nocturnos tantum recitari. Pontificale enim quandoque solum innuit quid faciendum generice sit, quin ab antiqua praxi recedat et universalis praxi recedat, nec verisimile est, ut, cum in honorem Sanctorum vigilias agendas praecipit, sine honore eorum Reliquias relinqui permittat: hoc autem sequeretur, si satis esset Nocturnos tantum recitare, quod absurdum est, et intentioni Ecclesiae penitus adversatur. Relinquat igitur, quisquis is sit qui hanc opinionem forte tenet, quae novitatem redolet.

Insuper, si vigiliae in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae sunt in Altari recondendae, celebrandae sunt, ut expresse dicitur a Pontificali, jam de Officio Dedicationis nihil est agendum, quia haec Reliquiarum expositio, ante quas vigiliae sunt agendas, est quaedam solummodo remota praeparatio alicujus peculiaris ritus in Ecclesiae dedicatione vel altaris consecratione servandi, non autem est ipsa Ecclesiae dedicatio, et per Reliquiarum expositionem nedum ea inceptit; nisi enim prius super Ecclesiam deducendam ab Episcopo consecrante aspersiones, unctiones, orationes, alique omnes ritus qui praescribuntur a Pontificali adhibeantur minime consecrata

Ecclesia censi debet; cum illius consecratio ab hujusmodi actionibus omnino pendeat, ac proinde Officium consecrationis jam peractae, antequam peragatur et per statutas actiones et ritus perficiatur, nequit celebrari: Si quidem si pridie recitari vellet Officium Dedicationis, vera non essent, quae vel in Officio vel in Missa leguntur, quibus Ecclesiam divinis cultibus sacrisque mysteriis dedicatam esse asseritur, ac falso diceretur: *locum illum factum esse inaestimabile Sacramentum* (ut in Graduali in Dedicatione Eccl.), *terribilem esse locum quia domus Dei est* (per ritus nempe et caeremonias talis effectus est) ut in Introitu dicitur; et falso pariter diceretur a Celebrante ipso consecrationis die in Oratione post communionem: *Quem nomini tuo indigni dedicavimus*; quod alienum esset a veritate et divino honori repugnans. Neque arridet Halden et Guyeti sententia, quam exemplo ab hymno Sancti confessoris desumpto tuentur, in quo dicitur: *Hac die laetus*, hoc enim respicit Sancti alicujus mortem jam sequutam, cujus memoria ecclesiastico ritu a primis vespere celebratur, non vero de re non existente, qualis in casu est Ecclesiae dedicatio nondum expleta. Ex Rubrica vero Breviarii FF. Ordinis Praedicatorum, quam in auxilium suae sententiae proferunt, nihil in re nostra praesenti concludi posse videtur, quia sanctio particularis vel usus apud illos Fratres receptus ad universalem Ecclesiam nequit extendi.

Demum si in vigiliis ante Reliquias agendas Officium dedicationis dicendum esse quis contenderet, adversaretur Decreto S. R. C. diei 9. Julii 1780 edit. quo sancitum fuit, *inchoandum esse Officium finita consecratione*. In eodem autem Decreto ad 5. dubium statutum pariter fuit a S.

R. C.: *Vesperas, matutinum, laudes et horas consecrationem praecedentes recitandas esse vel de feria vel de Sancto prout descriptum fuerit in Ordinario*. Quando itaque incipiendum erit Officium dedicationis ipsa consecrationis die? Clarissime patet ex adducto Decreto: non ante consecrationem, sed consecratione peracta et completa. Officium itaque inchoari debet ab illa hora, in qua consecrationis actio perfecta jam est. Qua hora inchoandum revera sit in Decreto non indicatur, sed si Rubricarum regulas parumper velimus perpendere, ab ipsa Pontificalis Rubrica desumere facile poterimus. Nam cum Episcopus consecrator peracta consecratione teneatur celebrare solemniter Missam de ipsa consecratione, vel si nimis sit defatigatus per alium Sacerdotem solemniter celebrare facere (*Rub. Pontifical. in Dedic. Eccl. sub fine*); cum juxta Caeremoniale Episcoporum Missam ab Episcopo solemniter celebratam praecedere debeat cantus alicujus horae canonicae; cum Rubrica Missalis (*tit. de hora celebrandi Missam*) diebus duplicibus et festivis definiat celebrandum esse post horam Tertiam, cum denique Officium dedicationis festivum sit, non feriale, ac proinde ex ipsa Rubrica Missa post Tertiam debeat celebrari, sponte sequitur Officium dedicationis ab hora Tertia esse incipiendum, illudque debito ritu per sequentem Octavam prosequendum esse, sed ab iis tantum de clero, qui Ecclesiae illi sunt addicti, neque totus loci clerus ad duo Officia recitanda tenetur, nam in casu hoc Officium non ex iis est, quae a toto Clero juxta Rubricas sunt persolvenda, ut in die omnium Sanctorum in Vespere, et secunda die Novembris ad Matutinum et Laudes.

3) Ecclesiae Abbatialis.

Nullius Sublacen.

Cum Rmus. D. Card. Joann. B. Spinula, Abbas Commendatarius Ecclesiae Sublacen supplicaverit: an Clerus universus suae Ecclesiae teneatur celebrare festum Dedicacionis Ecclesiae Abbatialis s. Scholasticae? S. C. resp.: Teneri universum Clerum sub ritu dupl. 1. cl. in civitate cum octava; in Dioecesi vero sine octava; Regulares sub ritu dupl. 2. cl. et sine octava. n. 4211 die 19. Sept. 1750.

4) Ecclesiae Cathedralis.

a) Obligatio Cleri saecul.

Vd.: *Dedicatio Eccles. omn. alicuj. Ord.* (decr. n. 4941 ad 4); *Dedicatio Ecclesiae* (non celebranda; Officium, quod?)

Ad dubium: An Dedicatio Cathedr. per universam Dioecesim celebrari posse cum octava? S. C. resp.: Servetur rubrica Brev. rom. N. 32 ad 4 die 7. Novb. 1592.

Licere Officia recitare de Dedicat. Cathedr. cum octava in propria tantum Ecclesia; in civitate vero et Dioecesi sub dupl. maj. sine octava. n. 1883 die 6. Apr. 1658.

Festum Dedicacionis Cathedralis tam in ipsa Cathedr. quam in aliis Ecclesiis *ejusdem civitatis* celebrandum esse cum octava; in aliis vero Ecclesiis Dioecesis esse solum celebrandum sub ritu dupl. sine octava. n. 572 die 2. Maji 1619.

Petitur, quod Octava Dedicacionis Cathedr. Compostell. extendatur ad universam Dioecesim. S. C. resp.: Negative et servantur rubricae et S. C. decreta. n. 4508 ad 4 die 9. Apr. 1808.

Occurrente vel concurrente Dedicacione Cathedr. cum Titulari alicujus alterius Ecclesiae praefereendam esse dedicationem Cathedr.; quoad octa-

vas vero servandas esse rubricas. n. 1469 ad 3 die 8. Aug. 1643.

Quando plures adsunt Cathedrales unitae, Officium Dedicacionis cujuslibet Cathedralis non debet recitari ab universo Clero Dioecesis unitarum, sed in qualibet respective Dioecesi debet recitari de sua propria resp. Cathedrali. S. R. C. 6. Mart. 1704 *in Viterb.*

b) Obligat. Monialium.

Ad dubium: An Moniales Ordinariis subjectae teneantur recitare Officium de octava Dedicacionis Cathedralis, vel saltem ad libitum possint recitare de eadem? S. C. resp.: Negative quoad utranque partem et tantum tenentur recitare Off. Dedicacionis Cathedr. sub ritu dupl. 2. cl. sine octava. n. 3617 ad 2 die 11. Febr. 1702; 20. Novb. 1683.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae Colleg.*

c) Obligatio Regular.

Vd.: *Dedicatio Eccles. Cath.* (transl. decr. n. 5224); *Dedicatio Ecclesiae Colleg.*; *Dedicatio Ecclesiarum omnium alicuj. Ord.* (decr. n. 4842; n. 4941 ad 3 etc.); *Patronus civitatis* (oblig. Off. Regul. decr. n. 5042.)

Ad dubium: Num Ordo Militaris Equitum Chr. in Regno Lusitaniae teneatur conformari decreto de non agentis festis particularibus Dioecesis, in quibus morantur, praeter Officium Patroni principalis sub ritu dupl. 1. cl. et Dedicat. Cathedralis sub ritu 2. cl. utrumque vero sine Octava? S. C. resp.: Affirmative. n. 4530 ad 6 die 22. Mart. 1817; 5. Maji 1736.

Regulares *in die* Dedicat. Cath. ad Officium teneri. n. 1606 ad 1 die 13. Mart. 1649; n. 1869 die 16. Mart. 1658; n. 2749 ad 3. 28. Sept. 1675.

Regulares *in ipsa civitate degentes* teneri ad celebrandum festum Dedicat. Cathedr. cum Officio dupl. 2. cl. sine

octava. n. 2159 die 1. Apr. 1662; n. 3316 die 11. Julii 1693.

Extra civitatem Regulares non teneri neque ad recitationem Officii in die festo. n. 3301 ad 3 die 10. Jan. 1693.

Ad dubium: an per verba „*in ipsa civitate degentes*“ illi tantum Regulares veniant degentes in civitate, in qua est Ecclesia Cathedr., an etiam illi, qui degent in aliis ejusdem Dioecesis Oppidis, quae vulgo in Gallia *civitates* nuncupantur? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3788 ad 3 die 16. Junii 1708.

Ad dubium PP. Benedict. Einsidl.: An Festum Patroni princip. alicujus Dioeceseos a Regularibus sit celebrandum ritu primae classis et dedicatio Cathedralis ritu 2. cl.; licet Festum Patroni celebratur ritu dupl. maj., dedicatio autem omnino non celebratur? S. C. resp.: Affirmative ad primum et secundum, sed sine octavis et degentes extra civitatem non tenentur ad Dedicacionis Officium. n. 4044 (*Alia dubia*) dub. 1. die 5. Maji 1736.

Ad dubium: An Regulares utriusque sexus teneantur vel possint recitare Officium Dedicacionis in Calendario Dioecetano assignatum de illis Cathedralibus, quae certo non sunt consecratae vel de earum consecratione prudenter dubitatur?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Juxta votum, videlicet:

„Si Officium Dedicacionis Ecclesiarum Cathedralium in Calendario propriae Dioecesis est assignatum, illud que ab Episcopis et Clericis Beticae Provinciae persolvitur, ad illius recitationem omnes etiam tenentur Regulares utriusque sexus, quibus permisum non est de illarum consecratione dubia excitare.“

Et ita pronunciavit etc. n. 4559 ad 1 die 15. Maji 1819.

Vd.: *Breviar. Monasticum.*

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Curnam a Directore Calendarii pro Ordine Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Beticae inferioris hujusmodi excitentur Dubia, nec video, nec intelligo. Numquid ad Regulares pertinet inquirere de Ecclesiarum Cathedralium Consecratione? Numquid ab illis, ad quos non attinet, proponenda sunt hypothetica Dubia, quae licet in abstracto ad Regulae generalis normam exigenda sint, in casibus tamen particularibus, seu, ut Scholastici dicunt, in concreto, ob peculiare circumstantias, quae concurrunt, praesumptiones, illationes et conjecturas, longe secus sunt enodanda? Ideo, si quis generaliter quaerat: num fieri debeat Anniversarium Consecrationis Ecclesiarum, quae certe consecratae non sunt, aut de quarum Dedicacione merito dubitatur, negativo responso erit dimittendus. Si vero quaestio sit: num Ecclesia N., de cujus Consecratione nullum habetur signum nullaque superest scripta memoria, revera dedicata fuerit? Dubitandi rationes erunt expendendae, priusquam resolutio prodeat. Fieri enim potest, ut nullum prorsus in parietibus signum supersit, aut sculpta epigraphes, aut in Tabulariis peractae Consecrationis memoria; nec tamen dedicendum est consecratam non fuisse: nam negligi non debent, imo multum pendendae sunt praesumptiones, ex quibus infertur, quod factum revera id fuerit, quod factum fuisse ob temporum injuriam ignoratur. Si constanter in Calendariis fiat Consecrationis mentio; si quotannis Anniversaria dies cum Officio et Missa celebretur, id satis superque erit ut habeatur valida perac-

tae Consecrationis praesumptio. Ideo S. R. C., licet sub die 18. Augusti 1629. decrevisset: *Non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiae, quam certum est non fuisse consecratam, imo neque, si est dubium, quod nuperrime eadem S. C. confirmavit die 22. Apr. 1780, in una Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in Hispaniis, declaravit tamen: Quoad Ecclesias, de quarum Consecratione dubitatur, stante asserta immemorabili consuetudine (celebrandi scilicet Anniversarium cum Officio et Missa) nihil innovandum.* Nam ex consuetudine celebrandi Anniversarium jure merito conjici poterat Consecratio illa, de qua dubitabatur; quod etiam clarius declaratum video in Ferentina die 27. Novb. 1706. Quamvis enim scripturae, monumenta, signum Crucis in pariete et alia similia Consecrationem indicantia nullibi haberentur de Ecclesia Cathedrali, quia tamen Anniversarium sub fide majorum recolebat, ideo responsum fuit: *Ecclesiam Cathedrali non indigere nova Consecratione.*

Cum itaque in propositis Dubiis quaestionem excitet de Consecratione Ecclesiarum Cathedralium Provinciae Beticae Director Calendarii Carmelitarum Discalceatorum, minime attendi debet generalis assertio: *an Regulares teneantur peragere Anniversarium Dedicationis Cathedralium, quae certo consecratae non sunt, vel de quarum Consecratione prudenter dubitatur.* Satis enim est, quod in Calendario Dioecetano assignata sit dies Consecrationis Anniversaria, ut Regulares se illi conforment, et ad legum Ecclesiasticarum praescripta Dedicationis Festum celebrent. Etenim simul ac Calendarium Consecrationis notat diem, hoc sufficit, ne de Consecratione dubitetur; licet monumenta perierint et circumstantiae temporis,

Episcopi consecrantis, idque genus aliae lateant sub antiquitatis caligine. Quaero tamen: Ecclesiae, quas Carmelitarum Calendarista fidenter affirmat certo non esse consecratas, antiquis adnumerantur, vel novo molimine recenter fuerunt extractae? Si primum dicit, haud poterit negativum argumentum adhibere contra praesumptionem, quae oritur ex Calendario Dioecetano et anniversaria Festi celebratione. Si alterum velit, in specie designet Ecclesias, quas ipse certo scit consecratas non esse. Quamquam id ad ipsum non pertinet. Siquidem poterunt Regulares excitare quaestiones de Ecclesiis ipsorum juri subjectis, ut sciant in Dubiis quid facto opus sit: non autem ciere turbas de Ecclesiis Cathedralibus etc., de quarum Consecratione, ut Officium ab ipsis fiat, satis est, quod in Calendario Dioecetano dies anniversaria notetur. Ad loci Ordinarium, ad Capitulum, ad Chori, Officiorum et Ecclesiasticarum functionum Directorem attinet investigare, num revera Cathedralis Ecclesia sacris caeremoniis fuerit dedicata. Quatenus vero certa desint signa, ipsorum est inquirere, num tales concurrant circumstantiae, quae valeant praesumptionem inducere et certitudinem illam, quam moralem dicimus. S. igitur C. proposito dubio respondens non recessit a sententia alias firmata de Officio omittendo Dedicationis Ecclesiarum, quae certe consecratae non sunt, aut de quarum Consecratione jure dubitatur; sed simul declaravit incompetentiam instantis pro resolutione Dubii, et praesumptionem moralemque certitudinem, quae oritur ex more recolendi cum Officio et Missa Anniversariam memoriam, satis esse, ne de peracta Consecratione dubitandum sit, etsi nulla supersit scripta in tabulariis memoria, vel in pariete signum.

Moniales locorum Ordinariis subiectae tenentur recitare de Dedicatione Cathedr., non vero de octava, nisi id specialiter indultum sit ex vi concessionis apost. vel propriae constitutionis ab ap. Sede approbatae. n. 4162 die 22. Aug. 1744.

Dedicatio Ecclesiae Cathedr., ad quam Regulares intra eandem civitatem constituti sub ritu dupl. 2. cl. celebrandam tenentur, ultra illius octavam transferri potest ab iisdem Regularibus, si prima dies altiori festo simulque tota reliqua octava aliis 9 ll. festis impedita est. n. 4198 ad 1 die 11. Jan. 1749; n. 4223 ad 2 die 29. Jan. 1752.

Regulares degentes in civitate tenentur ad Officium Dedicat. Cathedr., extra civitatem non tenentur neque ad recitationem Officii in die festo. n. 4223 ad 1 die 29. Jan. 1752.

De occurrentia Dedicat. Eccles. Cath. cum Officio SS. Redemptoris in dicta Congregatione, vd.: *Calendar. Congreg. ss. Redempt.* (decr. n. 4581 ad 2).

Episcopus Varmiens. cogat Fratres Minor. de Observantia ad celebrationem festi dedicationis suae Cathedralis ad formam decretorum. n. 4263 die 18. Decb. 1756.

Ad dubium: Assisii dominica 4. post Pascha occurrit Dedicatio Cathedr. apud Regul. dupl. 2. cl. et eadem die saepe occurrit festum s. Petri Regalati vel s. Paschalis Baylon etc., quae celebrantur a Franciscanis sub eodem ritu 2. cl.; quaeritur: quodnam ex dictis Officiis celebrare debeant Patres? S. C. resp.: Officium Dedicat. Cath.; et reliqua Officia Ord. regul. eadem die et sub eodem ritu occurrentia ad aliam diem esse transferenda. n. 4393 ad 8 die 27. Mart. 1779.

P. Gaudentio ab Arminio Procuratore gen. Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae pro

declaratione infrascripti Dubii S. R. C. demisse supplicante, nempe:

An praedicti Eremitae Camaldulenses extra Civitates et loca murata degentes teneantur, et sub quo ritu, ad recitationem Officii proprii Patroni principalis et titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, nec non Protectoris Civitatis et Locorum, in quorum vel quarum respective Dioecesis, seu districtibus sitae sunt singulae Eremitae?

Eadem S. R. C., ad relationem Emi. et Rmi. Domini Card. de Abdua, censuit: „Comprehendi Patres Eremitas et teneri ad Officia de Patrono Principali Loci, Regni, seu Provinciae, et de Titulari Ecclesiae Cathedralis sub ritu quidem primae classis, sed sine octava; nec non ad Officium Dedicationis Cathedr., sub ritu tamen secundae classis sed sine octava; et danda esse Decreta; et ita a Patribus Camaldulensibus Congregationis Montis Coronae servari mandavit“. n. 3803 die 23. Martii 1709.

Ad dubium: An Clerici Regulares s. Pauli civitatis Cherii teneantur, uti solebant, memoriam agere Officio secundae classis sine Octava Dedicationis Ecclesiae Metropolitanae Augustae Taurinorum, in cujus Dioeceseos finibus, licet quinque circiter passus distans, sita est eadem Cherii Civitas?

S. vero C., perpensa sententia unius ex caeremoniarum Magistris typis etiam vulgata, censuit:

„Non teneri ulla obligatione ad Dedicationem Metropolitanae Ecclesiae Taurinen. celebrandam; et quatenus laudabilem consuetudinem illam celebrandi retinere velint, eam esse sub eo ritu ab iis celebrandam, quo consuevit a dupl. secundae classis inclusive.“

Et ita declaravit, et servari mandavit. n. 4463 ad 3 die 21. Martii 1795.

d) Ritus.

Ad dubium: An dedicatio Eccles. Cathedr., quae extra civitatem celebratur sine octava, nihilominus extra civitatem per tot. Dioeces. celebranda sit sub ritu dupl. I. cl., an sub ritu dupl. min. dumtaxat? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 3565 ad 1 die 19. Junii 1700.

e) Translatio.

Cf.: *Patronus Regni, civitat. etc.; Dedicatio Eccles. Cath.* (Obligatio Cleri saec. decr. n. 1469.)

Festum dedicationis Cathedralis non posse transferri. n. 1922 die 7. Sept. 1658.

Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quae cadit die Exaltationis ss. Crucis, per Dioecesim est recitandum ipsa die anniversaria Dedicationis et festum ss. Crucis est transferendum. n. 2021 die 20. Decb. 1659.

Cum ob decretum emanatum 8. Aprilis 1662 Regulares teneantur celebrare Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis sub ritu dupl. 2. cl. sine Octava, et Bergomi apud Augustinianos occurrant die 14. Januarii Festa Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et SSmi. Nominis Jesu sub ritu dupl. secundae class.; quaeritur: Quale ex his Officiis sit suo die celebrandum, translato altero ad primam diem non impeditam?

S. eadem R. C., ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Rubini censuit respondendum:

„Servetur Tabella occurrentiae Festorum posita post Rubricas generales Breviarii Romani num. 8.“

Et ita declaravit. n. 3704 ad 2. die 23. Augusti 1704.

Ad dubium: Die 28. Oct. occurrit in Dioecesi Leodiens. Dedicatio Eccles. Cathedr. cum festo ss. ap. Simonis et Judae, potestne uni aut alteri ex illis

dies sequens assignari? S. C. resp.: *negative.* n. 3763 ad 6 die 19. Febr. 1707.

Cathedralem Sanctorum Joannis et Pauli Ferentinam nimis rudem, antiquatam et absque laqueari constructam ex traditione anno salutis humanae 1100. postmodum Capitulum et Canonici anno 1693 et subsequentibus fornice decorarunt, interiores parietes a solo ad culmen emarginaverunt, columnas quasdam novo caemento circumvestitas glutinaverunt et dealbarunt, Capellas laterales demolitas recenti studio aequali situ composuerunt, ita ut tota pars interior et forma Ecclesiae non tantum restaurata, sed insimul rennata appareat. Scripturae, Monumenta, Signum Crucis in pariete, et alia similia Consecrationem indicantia nullibi habentur de tota Ecclesia, sed tantummodo de Ara majori anno 1576 die 29. Novembris, prout hujus memoria legitur in Scheda apud Sanctorum fragmenta sub mensa ejusdem requiescentia.

Anniversarium tamen totius Ecclesiae sub fide majorum recolitur die 13. Junii, in qua pariter ad Ecclesiam Fratrum Minorum S. Francisci solemniter celebratur Festum D. Antonii Patavini populo Civitatis et finitimorum locorum propter affluentes nundinas ibidem adveniente, et Cathedralis non visitante, nec memoriam colente suae Dedicationis. Quapropter Episcopus, Capitulum et Canonici humiliter S. R. C. consuluerunt et quaesierunt declarare:

An opportuniori tempore consecranda sit Cathedralis et etiam Ara major ejusdem in die non impedita, ut Populus anniversarium Dedicationis possit recolere? Et quatenus, „*Negative*“:

An saltem sit locus translationi anniversariae solemnitatis, quae recolitur

die 13. Junii ad aliam opportunior diem?

Et eadem R. R. C. ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Colloredi respondit:

„Ecclesiam Cathedralis non indigere nova consecratione, sed tantum Altare majus; Festum vero dedicationis Ecclesiae posse transferri ab Episcopo ad aliam diem ab ipso designandam et non amplius immutandam. Et ita declaravit. n. 3755 die 27. Novembris 1706.

Utrum Regulares hanc dedicat. Cathedralis transferre possunt? vd: *Dedicat. Eccles. Cath.* (oblig. Regul. decr. n. 4198, 4393).

Ad dubium Ord. Min. s. Francisci in Peruviana Republica: Quum juxta Rubricas peculiare num. 83. in aequalibus praelationem habeat Officium nostri Ordinis, utrum occurrente S. Petro de Alcantara in die Anniversaria Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, recitari debeat de laudato Sancto, ista translata, quum sint ambo ejusdem ritus?

Emi. et Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

Festum Dedicationis Ecclesiae non propriae utpote secundarium in paritate ritus esse omnibus Festis etiam secundariis Christi Domini, et primariis B. M. V. ac Sanctorum in occurrentia vero non cedere nisi Festis primariis et secundariis D. N. J. Christi.

Atque ita S. C. rescripsit, et servari mandavit. n. 5224 ad 3 die 14. Maji 1856.

f) Vesperae.

Ad dubium: Quomodo apud Franciscanos regulandae sint vesperae, si Dedicatio (2. cl.) Cathedr. concurrat in 1. aut 2. vesp. cum Sanctis regular. 2. cl. (ut s. Paschalis Baylon) etiam cum Indulgentia plenaria deco-

ratis? S. C. resp.: Vesperas debere esse integras de Dedicat. Cathedr. cum commem. Sancti Ord. regularis. n. 4393 ad 9 die 27. Mart. 1779; n. 4395 ad 14 die 18. Decb. 1779.

Eugubii concurrunt 2. vesp. s. Matthaei ap. cum 1. vesp. Dedicat. Cath., quae celebratur ritu 2. cl. a Regularibus. Quid agendum? S. C. resp.: Vesperas debere esse integras de Dedicat. Cathedr. cum commem. s. Matthaei ap., ex quo est festum Domini. *Ibid.* ad 10.

5) Ecclesiae Cathedralis veteris.

Cum ab Ecclesia s. Petri olim Cathedrali et adhuc stante, jus Cathedralitatis ad aliam Ecclesiam Bosonens. nuper aedificatam fuerit legitime translatum, Officium dedicationis dictae veteris Cathedralis non recitandum est per totam Dioecesim, sed a Clero eidem Ecclesiae addicto. n. 4355 ad 10 die 23. Mart. 1771.

6) Ecclesiae Collegiatae.

Ad dubium: An Regulares et Moniales Aquaevivae teneantur facere Officium Dedicat. Colleg. uti de insigni et majori Ecclesia? S. C. resp.: De Titulari Ecclesiae Cathedralis et Patrono teneantur, sed in die tantum et non per octavam. n. 2302 ad 4 die 22. Novb. 1664.

7) Ecclesiarum omnium

(*Alicujus Ord.*)

a) Celebratio.

Vd.: *Calendarium Congreg. s. Redemptoris* (decr. n. 4281 ad 5.); *Dedicatio Eccles.* (off. — oblig. Regul.)

Ad dubium: An Officium Dedicat. omn. Eccles. Ord. B. V. M. de Mercede die decima Octobris persolvendum sit iis in Coenobiis tantum, in